ROXANA
TRAGÆDIA

A plagiarij unguibus vindicata, aucta, & agnita ab Authore

GVLIELMO ALABASTRO.

LONDINI,
Excudebat *Gulielmus Jones.*
1632.

215 : 01



CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO RADVLPHO FREEMAN, Equiti Aurato, Regiæ Britanniarum Majestati à Supplicibus, GVILIELMVS ALABASTER *Salutem.*

ANte quadraginta plus minùs annos, morticinum hoc edidi duarum hebdomadarum abortum, & uni-

us noctis ſpectaculo deſtinatum, non ævi integri. Cumq; tanto temporis intervallo quieviſſet, in æternum dormituram ſperavi fictitiam Roxanam, inter manes populares ſuos. Cùm ecce nuper plagiarius quidã de crucis benemerito nuncupatus corruptum poematis hujus exemplar nactus, ſuſcitavit Roxanam dormientem, et reluctantem, & de vitijs proprijs conſciam, iterum protraxit in famæ theatrum, ut ſui ipſius tragædiam ageret. Et præter ea quæ ex

partu

partu præcipitato vitia trahebat, addidit de suo tot menda, ut certasse mecum videatur, uter crebriùs peccaret. Quid facerem? An paterer vagari librum sceleratum, qui nomen meum si non à fronte, tamen à tergo gereret? vel senex septuagenario propior, Musas juveniles procarer, ingenio jã marcente, & conditione vitæ abhorrente. Vicit paterna indoles, ut fœtum juventutis à cura senis non deponerem. Revocavi igitur ad calculos plurima quæ admisisset cri-

mina, vel ex ingenio proprio, vel pravo amanuensium consortio. Prodit ergo jam Roxana, literata magis à stigmatibus, quàm à scientia; & crebra linearum interpolatione caperata, patri suo similiorem se exhibet. Tibi ergo pro veteri amicitia, cothurnum hunc mitto, qui pro ingenij perspicacia & Musarum familiari commercio, potes, quæ à me omissa sunt, corrigere, vel pro amore tuo defendere. Nam si totum dictionis hujus loliũ extirpassem, magna pars arvi

hujus

hujus ceſpite careret. Admonendus eras, recitare iſta cum ſpuma ſoni, ut ſolent poetæ tragœdias ſuas, quia in grandius quodammodo excoluntur, quæ cum ampulla oris leguntur. Sed ſervabis vocis robuſtæ accentum in Lamentationem Romæ, quæ intra annum in ſcenam prodibit: de illa bene ſperare audeo, huic pretium ad arbitrium lectoris ſtatuo.

Vale.

V. CL^mo. COLLEGÆ SEMPER-AMICO GVLIELMO ALABASTRO

Th. D. Roxanam redivivam
Sonulo Hendecasyllabico
gratulatur
HVGO HOLLANDVS.

EN Roxana superstes è profundo
Orci limine nuper est regressa:
Quæ casu nimis improbo repressa
Nunc toto volat expiata mundo.
Quis Graiûm tonat ore tam rotundo,
Cuius tam cita Musa tamque pressa?
Quæ necdum senio est premente fessa,
Sed cursu instar aquæ fluit secundo.

Hi

Ad Authorem.

Hîc Roxana triumphet atque proles,
Queis vates Clarii eſt vetus Miniſter,
Et vatum quot ubiq; ſunt Magiſter.
Iis ſit pro tumulo hæc ſtupenda moles,
Quam non diruet æſtuans Atoſſa,
Nec Tempus ſacra diſſipabit oſſa.

AD

AD

CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM VIRVM D. GVLIELMVM ALABASTRVM S. T. D.

ſuper Tragœdiâ ſuâ *Roxanâ* ex jure repetitâ, ſecundùm *vindicias aſſertâ*, & nunc ab ipſo editâ.

ROxana ſcenæ emancipata pulpitis
Olim, ubi, cothurno nixa, contempſit
Calcavit aſtra, condidit cœlo caput, (ſolũ;
Eheu! tot annis libera & iuris ſui
Servire tandẽ cogitur avaris typis; (tens.
Hinc mutila miſerè prodit et mendis ſca-
Non tã nocebat perfidum Beſſi caput,
Non

Ad Authorem.

Non ipſa Atoſſa tam cruentabat flagris,
Plagiſque arabat pellicis roſeam cutem:
Quàm qui deartuavit Aonium hoc melos
Plagiarius, Procruſtis ad lectum & ſuum
Luxánſq; detruncánſq; Sophocleos modos.
Roxanæ at iſti vivit (et vivat) pater,
Molonte melior, qui manu iniectâ aſſerat
Cerebrigerã prolẽ, Eſſe et hanc dicat ſuã.
Vterq; plagio gratiam hanc refert tamen;
Hic, quòd iuventæ ſic datur luſu frui;
Illa, hinc quòd almam ſanior lucem videt.
Tantùm aura lectorum benigna ſi favet,
Iubeto ſimul omnes, Valere et Plaudere.

THO. FARNABIVS.

ROX-

ROXANA.

Dramatis Perſonæ.

Moleontis umbra
Mors
Suſpicio
Oromaſdes Rex
Atoſſa Regina
Beſſus
Arſaces Senator

Roxana Moleontis filia
Siſimithres Roxanæ filius
Ariaſpe filia
Nuncius
Damiana nobilis aulica
Chorus famularum Reginæ

ARGV

ARGVMENTVM.

OXiartes Bactriæ Rex moriturus, regni filijq; Oromasdis tutelam fratri Moleonti cõmisit dũ puer per ætatẽ regno habilis esset. Oromasdes cùm ex ephebis excessisset, regnum à patruo reposcit, quo moras nectente, et nepotis ætatem rebus gerendis inidoneam causante, Oromasdes è Bactria ad Gangaridas fugit, et Gangaridarum regis filiam uxorem duxit, justisq; copijs instructus Bactriam revertitur, et patruum Moleontem regno vitaq; detrudit: Erat Moleonti filia Roxana, quam, ne in victoris manus veniret, in loco secretæ sylvæ remotissimo, cum alijs fidelissimis secluſit, omniaq; ad vitam necessaria simul congessit: Postea verò dum Oromasdes per hanc sylvam venatur, à reliquis aberrans, solo Besso comite in hunc locum incidit, et Roxanam ibidem incluſam; cumq; puellæ conspectæ amore teneretur, primò blanditijs sibi conciliat, deinde conjugis loco habet, atq; filium et filiam ex ea sustulit; dum

hæc

hæc per annos decem geruntur, tandem Beſſus Atoſſæ Reginæ amore captus, ut voti compos fieret, rem totam Reginæ aperit. Quæ Zelotypo furore correpta, hac conditione mutuam pollicetur gratiam, ut Roxanam liberoſq; ejus ſibi in manus traderet. quo facto, matrem cum liberis crudeliſſimè interficit, et Beſſo quod promiſerat exolvit: Quod cùm Regi per Reginæ nutricem innotuiſſet, Beſſum occîdit, et de Regina tollenda cogitat. Illudq; conſilium placet, ut cùm à Regina ad convivium invitaretur, corollâ venenatâ quam capite geſtabat poculo impoſitâ rem conficeret; quumq; eundem dolum Atoſſa Regi paraſſet, mutuo ſcelere pereunt.

ROX.

ROXANA.

ACTVS PRIMVS,
SCENA PRIMA.

Moleontis umbra.

UTrumne noctis ille Tartareæ vapor
Depinxit oculos ludicris mundi notis?
Vegetumq; rerum examen errore implicat?
An hoc quod oculis haurio late meis,
Illa eſt ſceleſta et execrata Bactria?
Quamvis hebeſcant oris iſta lumina,
Fulvoſque ſolis halitus abhorreant:
At illa pernix pupa vindictæ videt,
Et vel per ipſa furva noctis viſcera
Molemque terræ conſpicetur Bactriam.
Video ſuperba turrium cacumina,
Vrbiſque feſta tempora (at feſta haud diu)
Agnoſco celſum regiæ faſtigium.
Nunc hoſtis, olim ſed meum (heu olim decus)
Iam video nimium, præſtat Orcum regredi:

Est Orcus hic, et si quid Orco sævius.
Sed mollis, excors, vane, quid sævis dolor?
Spaciumq; pœnis debitum, questu teris?
Vindicta viva, et æquilibris ultio,
Nictu coruſci fulminis pernicior,
Et ignis altis rictibus voracior,
Age: quod ſuperſtat, ſaucij animi pabulum
Perpes vorato: luxuriat udum jecur,
Vacat dolori: credo iterum hominem induam.
Adhuc furoris vivit humani modus
In corde noſtro: nec dum odia perſenſimus,
Quæ ſpectra, larvas, et malas animas decent:
Iras vigere à morte, non mori ſcient.
Sed verba velitamur, et dies fugit,
Quam Parca Furijs conſtituit ultricibus.
Promiſſa ſed quid auxilia nectunt moras,
Quæ deſtinavit arbiter ſtygis mihi?
Gravis ultioni, vel leviſſima eſt mora.
Sed quale ſpectrum ſe intuenti interſerit?
Vel quantus illi livor, et terror ſubeſt?
Quod ſi tenaci mente, mihi conſto ſatis,
Mors eſt: furentes ſenſimus ſemel manus,
Poſtinde nunquam vidimus: vivos amat,
Illic moratur: mortui nequeunt mori.

Actvs Primvs,
Scena Secvnda.

Mors.

Mors. Moleontis umbra.

Mors. *Moleontis umbra, ſi quid exequendũ habes,*
Quod noſtra levius opera conficiat tibi,
Effare; morti nemo fruſtra ſupplicat,
Si bilis atra, et pervicax iræ ſitis,
Qua totus æſtuas, riganda eſt ſanguine,
Fruſtra invocabis numina, et lentis moris
Franges doloris impetum: poſſum brevi
Compendio præſtare, quod mille ambitus.
Nam bella, morbi, peſtis, et pejor fames
Mihi miniſtrant, turba ceu ſatellitum.
His ſævio, et ſine his; mihi namque eſt mali
Ars mille formis, ſæculis incognita,
Semperque morbi nova propago pullulat.
Quin grandis etiam pompa medicorum mihi
Operam miniſtrat, tergit ingenium meum
Labor ſcholarum; Diſcipula Machaonis
Profiteor eſſe: ſimplici graderer via,
Si non acuta conſilia medici darent,
Vt vita ab ipſa fieret antepharmacum
Vitæ: ſub illo rore potor dulcius.
" *Ingratus apparatus eſt reliquus necis,*
" *Medicina lethum temperat cum gratijs.*
Moleon. *Cõmunis ordo eſt, et neceſſitas mori.*
" *Quæ lege fati, et more tranſigitur ſuo,*
" *Vindicta non eſt illa, ſed maturitas*
" *Caduca vitæ; ſemper et homines prope.*
" *Non eſt mori miſeria, ſed miſerè mori.*
Mors. *Quæ tanta curis pectus inſanis agit*
Crudelis ira! tam furentis impetus

Non est origo tenuis, effare hoc mihi.
Morti vacabit semper excidij novas
Audire causas: Mol *exequar lubentius,*
Vt fama tanti sceleris, et meritus pudor
Iusto dolore sauciam te concitet
Nostris favere partibus; mixta manu,
Intorta sic vindicta feriet fortius.
Hæc glorioſa regna latæ Bactriæ,
Olim Oxyartes frater obtinuit meus,
Quæ regna moriens credidit dextræ meæ,
Dum temperando filius ſceptro foret
Par Oromaſdes; non erat in animo mihi
Fidei deeſſe, aut linea rectæ viam
Limare, regni devia cupidine.
Hærebat iſta cura ſed factis meis,
Vt fieret uſu dignus imperio patris,
Anniſque pariter. Ille ſed moræ impotens
Regnique ſæva fervidus cupidine,
Præoccupavit tempus: et Gangaridum
Regem petivit, cujus et natam thoris
Deſponsit, et conflavit ad bellum viros.
Diúque marte pendulo, tandem tamen,
Pugnâ potitur, (qualis eſt belli alea)
Vitaque me, et regno exuit, vita altera.
Sed damna vitæ gravia, nec ſolij forent
(Vtrumque quamvis grave ſit) his niſi additum
Natæ fuiſſet dedecus, et injuria.
Quam ne ſuperbo præda victori foret,
Mali futuri providens, et nunc dati

(Tam

" (*Tam certus augur rebus in malis timor*)
Et ſole et orbe neſcijs, ſylvâ intimâ
" *Clauſi ſecretam* (*ſed palam illa eſt fœmina*)
" *Quam non recondunt, caſtitas, pudor, fides.*
Quin et Dianæ dedicatam virginem
Turri ſacravi marmoris reconditam,
Vt illa caſto flore ſerviret Deæ:
Illamque tutam ab hoſte ſervaret Dea.
" *Sed nulla turris, nulla religio ſatis*
" *Munita, quam non curioſitas levis,*
" *Profana vel libido faciat perviam.*
Fruſtra Deos rogavimus, fruſtra pij.
" *Deos Tyrannis uſus, haud pietas facit.*
" *At ſola ſimplex turba veneratur Deos.*
Rex Oromaſdes forte venatu ſuis
Socijs aberrans, repperit natam meam
Sylvis recluſam, cumque Atoſſæ conjugis
Maritus eſſet, ambijt ſtupro meam
Violare natam, ſed meam natam nego,
Quæ cum tyranno, et ſanguinis nimis ſui
Et Adultero, et quod leve erat, homicidâ patris,
Amore, ſtupro, nuptijs hæſit malis.
Quin et quod uxor ſterilis abnuit dare,
Dedit Tyranno liberos; fecit patrem,
Per quem illa patre caruit, atque illâ pater.
Id nempe ſolum defuit malis meis,
Fœcundus hoſti ut eſſem; et ex qua ſurgeret
Vindicta patris, hoſtis oriretur domus;
Et ſpes ſenectæ, et regij throni jubar.

Inimicus orbus ne esset, ego pater fui,
Felicitatem credidi natam, via
"Sola hac miseriæ fuerat. Ad summum mali
"Nisi à seipso, nemo fit plenè miser:
In impudicam hanc pellicem, et matrẽ malã,
Quæ Neptis esse, et esse nata vult mihi,
Sed utrumque nomen neptis, et natæ execror:
Et hunc tyrannum, sanguinis nostri luem,
Nepos, generque qui cupit dici meus;
Sed utrumque nomen patrui, et soceri execror.
In hunc, in illam, in utrumque, et utrinque irruant
Moleontis odia: bene fit: utrosque implicat
"Vnus reatus: Sæpe violentus furor
"Cum justus hostis defuit, deferbuit.
In quos feratur, ira nostra repperit;
Ne desit hostis, nata se nostra obviat.
Sævire discam hinc rectius, et in filia
Experiar, in nepote quod post exequar.
Mors. *Ingens malorum messis, et scelerum ambitus*
Perplexus, unde tot capita, et propagines
Odij resultant, fertilis morti seges.
Sed quale tanta ad scelera commentum placet,
Vnde ordieris? cujus auspicys ages?
Authore quo, quid incipis momentum habet.
Moleon. *Pulchre statutũ est: vota se nostra explicant.*
Spem de futuris foveo, principium liquet.
Ministra sceleris sola suspicio placet;
Hanc evocato, in abdito inferni latet,
Omnes latere gestiens, et se latens,

Vt ſuſpicetur, ſuſpicax etiam ſui.
Mors. *Quid moliaris ſentio, et monſtrum ſcio,*
Quod plurimos morti dedit, plures dabit.
Iſthic morare; quod cupis ſiſtam tibi.

ACTVS PRIMVS,
SCENA TERTIA.
Moleontis umbra ſola.

CAnis Britannus vertagus velut celer,
Quando latentis indicem odorem fera
Hauſit rapaci nare, geſtit artubus
Cunctis, et ora ſufflat, et latratibus
Nictens acutis, præcipit quod non habet,
Et non videt; ſed ſpe tamen videt, et habet.
Sic execrata divitem prædam domus
Percipio blanda ſpeculâ, at amicâ tamen,
Certamque facile credo, quia certam volo.
Nunc vivere incipio, hoſtis incepit mori:
Nunc fauſtiori ſorte quam prius rego.
" *Hoc imperare eſt: nolle quicquid non potes,*
" *Aut poſſe quod vis: poſſumus, reges ſumus;*
Et fuimus olim: ſed luent per quos ſtetit
Quod fuimus. Occupanda nunquam ſceptra ſunt,
Niſi propter hoſtes, eſſe mihi regem lubet.
Agite miniſtri; quis minuet iſtum mihi
Dolorem, ut inde creſcat ipſe, qui me amas
Oſtende (nullum majus indicium peto)

Dilecta capita mihi nepotum, filiæ,
Generique monstret, absque corporibus magis
Forsan placebunt: si redire in gratiam,
Odiumque quærant diluere, hæc sola est via.
Sed sentiant se quando moriuntur, mori:
Et antequam moriuntur, hoc mortem facit.
Tamne expeditè? prius amicos credidi,
Nunc sentio. Quid hoc? video natæ caput?
Roxana salve: patris in amplexum veni.
Solet perire mortuis formæ decus:
Sed crevit in te nata: quanto es pulchrior
Defuncta (si non judico nimis pater.)
Et hæc nepotum capita, de matre auguror,
Patri nec abludunt, habent et quiddam avi:
Nepos, generque gemina amicitiæ nota.
Optate patruo nepos, socero gener,
Optate per te, at liberis et conjuge
Optatior gemina: Hic modum iræ ponimus.
Vindicta tandem pereat, et malus furor.
Sed non peribit, anime quo pergas vide.
Incogitantes, garruli, et (quod maximum
Inesse vivo huic pectori potuit scelus)
Pene innocentes fuimus, innocuè loqui
"*Dum discimus: non parvus ad amorem est gradus*
" *Affari amanter, sentias contra licet.*
" *Quod sustinebis dicere, et facere id potes.*

ACTVS

Actvs Primvs,

Scena Qvarta.

Mors. Suſpicio. Moleontis umbra.

Mors. *Sic illum in omnes ira crudelis rapit.*
Suſp. *Attendo, ſed præcede:* Mors. *cur nectis mo-*
Suſp. *Egone mortem patiar à tergo ſequi?* (*ras?*
Vt falx tibi eſt, ſic colla mihi. Mors. *fruſtra times.*
Suſp. " *Fruſtra veretur nemo, quod nemo ſatis.*
Mors. *Sed cur lates?* Suſp. *ſuſpicio quare ſim rogas?*
Mors. *Quo jam recurris?* Suſp. *metuo ne fures domum*
Me abſente rapiant, Mors. *ſed nihil domi eſt tuæ.*
Suſp. *At cura magna eſt, ne pereat illud nihil.*
Mors. *Numeraſne claves* Suſp. *fortè conjux inſciæ*
Subduxit unam abſente, quo me, pellicem
Inducat. Mors. *An vietus, et caſcus ſenex?*
Suſp. *Aurora Tythonum rapuit æquè ſenem.*
Mors. *Pectus perambit clathra cur plicatilis?*
Suſp. *Deprênſa ſum, quorſum iſta ſciſcitatio?*
Et ille teſtis ſuſpicor verbis datus?
Mors. *Rex eſt, nec eſſe regibus teſtes licet.*
Suſp. *At regni ob uſum multa reges perpetrant*
Quæ non decent, Mors. *cur exilis loco tuo?*
Suſp. *Ne pulvis illic ſubſit igneus, mico.*
Mors. *Quid tecta ſpectas, unde nil veniet mali?*
Suſp. *Tegula ſubivit impluens ſe Iupiter.*
Moleon. *Monſtrum nigrantis Tartari, ſub quo lates,*

Illudque

Illudque ſub te latitat, omitte hos leves
Sagacis animi, & ſuſpicacis impetus.
Quid in teipſam ſævis? Auxilium mihi
Promitte, dabitur magna materia mali:
Servi libido, regis ignotus thorus,
Regina ſpreta, et ſpreta quod ſit neſciens.
Ignara pueri mater, et matris puer,
Gener, nepotes, mater, infeſta omnia.
Suſp. *Cur tu immerentem filiam ulciſci paras?*
Moleo. *Vtrũ immerentem ſtuprum? an impietas facit?*
Suſp. *Sed paſſa vim eſt invita:* Moleo. *credo et nup-*
Et liberos. Suſp. *quid virgo faceret impotens?* (*tias,*
Moleo. *Quod nata Lædæ fecit, et quod Belides*
Vetus exolevit fama, feciſſet novam.
Suſp. *Habes nepotes regij hæredes avi:*
Moleo. *Sed habeo generum patrui homicidam ſui.*
Suſp. *Sævis genitor in filiam,* Moleo. *vel in patrem,*
Vel in meipſum, dummodo hoſtem ſævio.
Suſp. *Quid ſuſpicabor eſſe faciendum mihi?*
Moleo. *Quodcunque durum, triſte, crudele, horridum*
Scelus, atque ſi ſit ſcelere nomen dirius,
Quod ſuſpicari nulla ſuſpicio poteſt.
Nec mors piare, plana pœnarum agmine.
Contagione regiam, ſed peſſima
Accende: qualem ipſa metuas cum accenderis.
Ingredere tota, ſicut ad facinus ſoles.
Quod ipſa abhorres, nulla pars aulæ vacet,
Tuique nulla, minima ſuſpicio volet
Seu vera, ſeu ſit falſa, dummodo mala.

Si

Si quicquam amoris, aut fidei ineſt regiæ,
Quod impedire poſſit inceptum ſcelus,
Citò amputetur: ſed quota eſt hæc pars tui,
Vt illa pereant, rariores hoſpites
Nulli inter aulas; ſponte moriuntur ſua.
Sed illa ſurgant, digna te, et ſtudijs tuis,
Cautela nimium ſuſpicax, vani metus,
Doli, furorque cædis, et ſcelus, et nefas,
Et quicquid hoſtes hoſtibus vovent mali,
Boni remittunt: horreant, quod non ſciunt,
Et quod cuiquam poſſit accidere malum,
Vereantur in ſe, et conſtet augurium ſibi
Sui timoris. Forte propoſitum ſcelus
Præoccupent utrinque, et ad finem mali,
Capiantur uno victor, et victrix dolo.
Atq; en ſuperbam principis pompam ferens,
Atoſſa dubio tendit ad templum gradu.
Vt ſæva noctis viſa donis expiet.
Ipſa tacente, loquitur in vultu metus.
Accinge te nunc, ſuſcipe hanc cauſam tuam,
Vireſque totas collige; ut tui tibi
Menſura conſtet, trade documentum græve,
" Niſi qui probavit, nemo ſe rectè æſtimat:
Tuque illi adhære particeps mors, et comes;
" Perfecta non eſt pœna quæ parcit neci.

Chorvs Ex Tribvs.

Qvalis vario ſyrmate formas
Nox picta trahis mille colores?

Atque

Atque ſepultis ſenſibus offers?
Rerum facies, ſpeculoque tuo
Actus prodis ſapè futuros.
Sollicita tua cura quadrigæ,
Et comes hæret timor eunti.
Nocte ſuprema ſic Atoſſam
Pavidis terrent ſomnia ſpectris.
Pratis florigeræ ſicut apes novis,
Carpunt delicias, et juga florea
Errantes, varijs crura ſaporibus
Ad cellas referunt tincta: ſed unicum
Succum de varijs floribus exprimunt.
Sic inter ſpecies ſenſibus obvias
Noctu mens animi corpore libera,
De cunctis variam fingit imaginem.
Non vana fides, hominum functas
Animas media nocte vagari,
Et demerſis ſenſibus umbras
Mittere rerum ſæpe futuras.
Cum nox medios ageret currus,
Staret et æquo temone polus,
Subitò geminos vidimus angues,
Ruere in thalamos Atoſſa tuos;
Et ſinuoſas volvere ſpiras,
Et ſurrigere ſibila colla.
Lineam cum ſol pater æquilibrem
Tangeret cœli, penetravit aulam
Inſolens urbis lupus, et domorum
Ferre conſpectum: gemuitque bubo,
Carmen infauſtis ululans querelis.

Actvs Secvndvs,
Scena Qvarta.

Oromaſdes. Beſſus.

Orom. *VTrum inquietus animus ignavos metus*
Sibi fingit ipſe, (rebus ut magnis ſolet?)
An dij nocentes, ſorſque difficilis bonis
Seſe impiarunt ſcelere Roxanæ in caput?
Præſagit aliquod ſuſpicax animus malum,
Cur ſuſpicetur neſcit aſt animus malum.
" Beſſ. *Prudentis hic eſt morbus, in vano timor.*
" Orom. *Prudentis hic eſt nervus, in dubio timor.*
Beſſ. *Effare ſervo quis cruciat animum metus?*
Orom. *Cavere poſſim ſi ſciam, ſed ſuſpicor.*
" Beſſ. *Properat nimis ſuſpicio, quæ præit metum.*
" Orom. *At illa ſera eſt quæ ſequitur altos metus.*
" Beſſ. *Is ſuſpicetur, cujus eſt etiam timor,*
Rex quem timebit? Orom. *major eſt nobis timor,*
Sed non apertus: turba fit pœnæ arbitra,
Rarò timoris. Beſſ. *Quale vereatur malum*
Roxana? Orom. *quicquid fœmina, et quicquid nimis*
" *Dilecta, rarus invidet miſeris Deus.*
Sed ne latenti torquear fruſtra metu,

Cape

Cape has ſacratæ interpretes claves domus,
Iterq; captum corripe, et cape annulum
Sigillum amoris, et ſacram fidei notam,
Speculumque formæ conſcium, cum his literis,
Quas irrigavit imbre lachrymarum dolor.
Pene adlituras: expedi, redi, vola,
Non inquietos exuet prius metus
" *Sollicitus animus, creſcit in pejus timor*
Moras trahendo: Beſſ. *fiet Oromaſda inclyte,*
Certabit expeditio cum fide ſua.
Sed qualis iſte non tui vultus color?
Incertus oculi jactus, et dubij pedes,
Tremorque ſubitus, et pes haud conſtans ſibi?
Partem doloris conjice in me, ſi potes
" *Omnem, voluptas ſubditi eſt, regis mala*
" *Levare, vel perferre: taciturnus dolor*
" *Se rodit ipſe: vim gravem minuit mali*
" *Qui narrat:* Orom. *hic ſilentio curabitur*
Morbus, loquendo creſcit. Beſſ. *id quod garrulo*
" *Loqueris palam ſit, claudit arcanum fides.*
" Orom. *Qui multa cuiquam credit, effari docet.*
" Beſſ. *Qui conſcijs quid ſubtrahit, damnat fidem.*
Orom *Nil ſtatuo certi, ſed timeo, ſed ſuſpicor.*
" Beſſ. *Suſpicio ſæpe prodidit metum ſuum.*
" Orom. *Loquax recondit temeritas raro fidem.*
Beſſ. *Quod dixeris mihi, lapidi dictum puta.*
Orom. *Occultat reddit Lydius at lapis palam,*
Beſſ. *Muto loquêris, cujus os vocem premit.*
"Orom. *Quod lingua muti celat, id ſigna exprimunt.*

Beſſ,

Bess. *Sic immerentis elevas servi fidem?*
Orom. *Sat Besse constat, sed animus magno in metu*
Impos sui est: nec credit alijs, nec sibi.
Illud verebar, ne quis Atossam malus
Docuisset error conjugem de conjuge:
Sic inquieta visa, et anxia est modo,
Ambigua iactans verba, nec fractis iter
Reclusit ira vocibus: perque omnia
Par est Atossa, parque Zelotypæ dolor.
Sed tu citatam corripe et viam, et moras.
Cura ut minantis exuar caco metu,
Me distinebit interim cura anxia.

ACTVS SECVNDVS,
SCENA SECVNDA.

Bessus. Suspicio.

" Bess. *FOrtuna misero blanda, felici levis,*
" *Gravis ruenti, capta quæ semper capis.*
Quo me extulisti in arduum montis jugum?
Regi ut superbum proximus ferrem caput.
Vbi mors cadentem sequitur, et stantem metus.
Humili latebam tutus, et tectus domo,
Nec posse tangi senserat prudens Dea?
Ergo elevetur inquit, hac parte obvijs
Telis patebam, ut crescerem in damnum, altior
Irem ad ruinam. Sentio labi statum

Quo

Quo fulciebar, deſpicio præcipitij
Immanem hiantis vorticem: ſola eſt ſalus
Præoccupare præcipem caſum, et ſpecu
Minante, montem inferre, ne monte obruar.
Vtrinque timeor, et vereor, obnoxius
Sum noxiuſque credor, id regi ſat eſt.
Hic ſuſpicatur proditum per me dolum,
Si proditus ſit, conſcius ſolus fui.
Regina per me credit abſcondi malum,
Quodcunque prodi poſſit; inter aulicos
Secreta ſolus namque regis ſentio.
Vtrique vitam debeo, ne non ſatis
Sit unus exigendo: mihi pariter nocent
Feciſſe, non feciſſe, peream ut certius.
Sed faſciculus hic, de ſegete mei eſt mali.
" *Cupido miſero nulla, moderato levis,*
" *Gravis fluenti proſperis, quò me rapis*
Mei impotentem, ſive amor, ſive es dolor?
Furorque potius, anime vane, intemperans,
Hic ſiſte fluctus ebrios, nec litora
Rationis ultra, fervidum ſalum vome.
Atoſſa (Beſſe) numquid ambitur tibi
Regina claræ Bactriæ, cujus ſacro
In ore majeſtas ſedet, caſtum et decus,
Et forma nulli facilis, et cuſtos pudor?
Quid ſtultus egi? colligo cauſas ne amem,
" *Magis inde amavi, laus amoris et nota eſt,*
Et anſa. Sulp. *Sed ſpes non favet votis tuis.*
Beſſ. *Magis inde amabo, plus libet, quod non licet.*
" *Vincentis*

" *Vincentis honor eſt, ubi labor ſtat victoria.*
Suſp: *Reginam amas.* Beſſ. *at principes nihil timent.*
" *Virtutis arctũ eſt vinculũ, pudor et timor.* (*ſatis,*
Suſp: *Pulchra eſt.* Beſſ. *videtur pulchra ſibi nunquam*
" *Niſi quando amatur.* Suſp: *caſtitas moram dabit.*
" Beſſ. *Cum caſtitate forma vix jugum trahit.*
Suſp. *Sed unde votis annuet veniam tuis?*
" Beſſ. *Amabo, amoris magnus eſt illex amor.*
Etiam ipſa flectet, nulla amoris neſcia eſt,
Quæ ſemel amavit: virgines quod non ſciunt
Amant, mulieres quod ſciunt, et quod amant.
Sed longum iter ſignamus, et nimium ambitum
Porrigimus, iſthuc conſilio acuto eſt opus:
" *Amor morari qui poteſt, tolli poteſt.*
Aut franget, aut frangetur affectus meus.
Suſp. *Quid ſi ipſa tardet?* Beſſ. *regij pateant doli,*
Roxana conjux æmula, et nati novi,
Zelotypa faciet, quicquid Atoſſa haud facit.
" Suſp. *Sic eſt agendum, per ſcelera tutum eſt ſcelus.*
Beſſ. *Sed immodeſte, ſtulte, violente, impudens*
Anime quid audes? quid facis? regi et mihi
Pariter rebellis? regis oblite, et mei?
Quonam alma pietas ceſſit? ubi latitat fides?
Vbi ſe deorum condidit metus? et pudor
Tinctura honoris? quicquid et homines malos
Non patitur eſſe, nec patitur eſſe in malis.
Vbi hæc, ubi illa? et quicquid iſto in pectore
Abeſſe tantum ſentio: vel ſi levi
Parte infuiſſet, fugeret hoc tantum ſcelus?

Sed ecce amoris flammeam vibrans facem
Atossa tendit: quis vetitus animum calor
Iterum lacessit: heu recrudescit dolor
Sævus sepulti vulneris? quò me pudor
Quò me relicto tendis: abijit, et redit,
Sed tardus, iterum totus et penitus fugit.

ACTVS SECVNDVS,
SCENA TERTIA.

Atossa. Bessus. Suspicio.

Atoss. *FOecunda mater somnijs, tellus parens,*
Et vos beata turba noctivagi dij
Manes laresque præstites nostræ domus,
Noxque alma cujus lucida furvum caput
Flammæ coronant, quæ tuo gremio foves
Defecta somno membra; quotque numina
Alia, sepultos agitis in sensus vagas
Imagines & imbuitis animum novis
Rerum theatris, este mihi precor leves,
Et sæva noctis visa, et horribiles minas
In execratas vertite hostium domos.
Sed Besse qualis iste tam immotus status?
Colorque languens sæpe, sæpe germinans:
Et laxa cervix, et caput humeris grave,
Oculisque tanquam corneis fixum jubar.

Anhelitus

Anhelitus repetitus et plexæ manus,
An te ſuborta territant inſomnia?
Beſſ. *Horreſco noctis viſa ſed lucis magis.*
Ato. " *Ignavus eſt qui ſomniat vegeto die.*
Beſſ. " *Spes blanda nihil eſt niſi vigilis inſomnium.*
Ato. *Licetne ſcire ſomnij formam tui?*
Beſſ. *Neceſſe viſa eſt ſcire, quæ tendunt tibi.*
Ato. *Si læta ſunt, accipio; ſi lxva, abnuo*
Beſſ. *Præſtare utrumque liberum imperium eſt tibi.*
Ato. *Sed quæ recurrit forma ſenſibus tuis?*
Beſſ. *Per amica noctis viſa amare credidi.*
Ato. *Effare amatæ nomen, et certas notas.*
Beſſ. *Timor pudorque prohibet, at magis timor.*
Ato. " *Comites amanti inutiles, timor et pudor.*
Beſſ. *At hi fatigant vel recuſantem hoſpitem.*
Ato. *Effare amatæ ſigna, ſi nomen negas.*
Beſſ. *Atoſſa niſi tu, nulla tam ſimilis tibi.*
Ato. *Vel ipſa poſſem amare tam ſimilem mihi.*
Beſſ. *Sic illa loquitur, aſpicit, ſtupet, tacet.*
Ato. *Quis neſcientem ſurripit memet mihi?*
Beſſ. *Proferre vultus ſigna poſſum vivida.*
Ato. *Nomen negatum ſurget ex vultu indice.*
Beſſ. *Hic ſpirat illi nobilis formæ decus.*
Ato. *Nihil hic reſultat imaginem præter meam.*
Beſſ. *Sic nempe ſpeculum conſciam formam refert.*
Ato. *Videre cur es auſus iſtuc ſomnium?*
Beſſ. *Amica vetat nemo amici ſomnia.*
Ato. *Cur ſomniaſti nulla quod dabit dies?*
Beſſ. " *Vigilantium unus mundus eſt in ſomnijs.*

" *Suus cuique quisque, quod vult somniat.*
Ato. *Ergo ut videtur me videns vigilans, amas?*
Bess. *Amare si sit culpa, culpam deprecor.*
Ato. *Fides colenda in principem, non hic amor.*
Bess. *Qui quod minus jubet, haud vetat quod est majus.*
Ato. *Fidem et timorem quicquid est ultra, est furor*
Aut servitus. Bess. *seu sit furor, seu servitus,*
Vterque Atossæ servit, et Atossæ furit,
Ato. *Mitte hunc amorem, te decet melius pudor.*
" Bess. *Is frustra amavit, non amare qui potest.*
" *Fati reguntur legibus mors, atque amor.*
" Ato. *Si fata cogunt facere, cogent et pati.*
" Bess. *Quæ sic amanti irascere, quid hosti facis?*
Ato. *Pari loco est qui me odit, et qui invitam amat.*
Bess. *Quacunque culpa est, culpa regina est tua.*
Ato. *Quis amare jussit?* Bess. *lucidum forma decus.*
Ato. *Spectare quis coegit?* Bess. *hoc formæ decus.*
Ato. *Tibi non patebat:* Bess. *astra lucent omnibus.*
Ato. *At non patebit:* Bess. *astra non possunt tegi.*
Ato, *Siste hunc furorẽ.* Bess *quis furori obstet furens?*
Ato. *Sciet Oromasdes.* Bess. *plura rex intelligit.*
Ato. *Moriere* Bess. *idem est mihi non potiri vel mori.*
Atoss. *Sic me cupido mollis, et turpis venus*
Despecto amori projicit ludibrium?
Populo probamur, vixi mus nimium diu.
Besso placere cæpimus, pulchræ sumus.
Despecta si non conjugi, et vilis forem,
Non cogitasset ista: de regis animo
Perspecto amavit, hoc ab arcanis venit.

Sus

Susp. *Rescivit, actum est; eloquere, praeoccupa.*
Bess: *Atossa! fasso si patet veniæ locus,*
Secreta prodam, quæ tuum tangunt caput.
Ato. *Audacter effer, dabitur et venia, et fides.*
Bess *Conjux Oromasdæ alia.* Ato. *quod monstrũ audio?*
Bess. *Roxana natæ patrui.* Ato. *id superi sciunt?*
Bess. *Et gemina proles,* Ato. *sustinet terra hoc nefas?*
Bess. *Regnoque destinatur* Ato. *Atossa hoc sinet?*
Bess. *Divortium meditatur.* Ato. *à vita sua.*
Bess. *Condiderat illam in intima sylvâ pater.*
Dum forte rex venatur, errat longius,
Turrimque cernit; solus inter-eram comes,
Ingressus istam conspicatur virginem,
Narrat parentem mortuum, regem novum
Se jam imperare, mœstam, et attonitam metu,
Stupro subegit, jungit et mox nuptijs,
Ubi peperisset, nunc quod aulâ Bactricâ
Regina non colatur, et sylvam exuat,
Obstare matrem fingit incœptis suam.
Ato. *Tam casta videor, et vetula, mater meo*
Ut sim marito, vapulabit hic puer,
Bess. *Nunc ista amata signa Roxanæ fero,*
Cerasque regis indices veri metus:
Diu hoc recondit nimius in regem favor,
Amor recluſit; doluit insignis tui
Jactura honoris: facio discrimen meæ
Narrando vitæ, moriar, an vivam, tuum est.
Fuitque nostrum: quanta tibi tribuam vides:
Ato. *Quis me execrati Ditis afflavit vapor?*

Quæ fusca nebula noctis involvit malæ
Mentis cacumen, qualem ab Ætneo rogo
Furvum nigrantis vorticem fumi vomit,
Quoties paventes terret Enceladus deos,
Et triste cœlum, noctis æternæ metu.
Ite huc benignæ furiæ, et infamis strygum
Caterva stridularum, et ululantes chori,
Lemurumque larvarumque, flammeas faces
In me rotate, non minor in hoc sæviat
Thorace flamma, quàm impigris Lemni jugis
Insanus ignis voluit, aut nubis sinu
Fulgur coactum findit obstructum latus,
Laceróque hiatu flammeas undas agit.
Siste ira fluctus, siste, non vacat queri,
Quicquid dolori dedero vindictæ perit:
Quæ nulla nisi tota est, Maritum amisimus,
Quæratur alius; repperi. Besse hic places.
Nec signa gemmis squallida Eoi maris
Aurive pondus grave, nec ad thalamos peto
Dotale sceptrum, quod dabo dextram in tuã.
Sed pellicem invisam, duosque liberos
Dari requiro. Besse dote istâ places.
Nunc dura mater, regias capit preces,
Tandemq; fractus animus ignotam nurum
Videre gestit, et suo genero frui.
Huc usque regis uxor in occulto fuit,
Regina mox dicenda, (quod majus decus.)
Bess. *Victor triumpho, numini id datur tuo.*
Cui vota solvam gratias (ut dijs solet)

Sed ſentiendo quàm loquendo pleniùs
Et gratiarum non minima pars hæc erit
Differe grates; ut citò juſſa exequar. Exit.
Ato. *Neglecta, ſpreta, vilis et ludibrium*
Hoſtile facta ſum, idque quod ſummum eſt mali
Ignara: poſt tot ſcelera, poſt læſum thorum,
Poſt ſtupra, tædas, pellicem, atque annos decem,
Reſciſco: perque hæc cuncta, quod magis dolet,
Pudica, fida, lenis, innocens fui.
Tandem revixi: et omnis annorum decem
Error dolorque tempus in præſens redit,
Cui non dolendo tempus omne ſufficit.
Quemne exulantem, ſupplicem, fractum pater
Meus reduxit patriæ, ſceptro, throno,
Meis coactus precibus is me ejecerit?
Eripere poſſum ſceptra, quæ potui dare.
Sterilem querebar quis malus faceret Deus,
Amor exulabat, frigidus meos thoros
Acceſſit et defectus, ad matrem ut ſolet.
Hoc ſæva viſa noctis, hoc ſuperi docent
Tandem loquaces: ſed taciti ad annos decem.
Roxana regnet, pellici cedam thoro?
An ſpurios alam? excidam regno meo?
Priùs Triones cærulam Tethin bibent,
Et inquieti circinum ſolis quies
Æterna ſiſtet, liberum vertigine.
Abſcede ratio, mens bona, et mollis pudor,
Materque pietas, quicquid et ſcelus vetat.
Diſcurre vivax ira, vindicta impotens,

Furorque præceps, pectus en totum patet.
Non sic medullas hausit Herculeas, Hydræ
Torrens venenum, nec per ululatum nemus
Insana Manas corde lymphato, sinum
Decerpsit Ino Pentheum; non sic ruit
Medea, læsi stimulo amoris saucia,
Quando astra, & omnes ad suos gemitus Deos
Deduxit: hoc major mihi incumbit dolor,
Furorque major, dummodo hoc pejus scelus
Nascatur, omne sceleris exemplum supra.

ACTVS SECVNDVS,
SCENA QVARTA.

Chorus.

FVtilis rerum male creditarum
Lingua, pruritu sitiens loquaci,
Quale portentum est, et inauspicati
Ominis horror?
Turbidos in se revocat tumultus:
Sicut inflatus violentus ore
Cacias, nubes glomerat sequaces,
Flaminis caca illecebra: polumque à
Cardine torquet.
Deprimit rerum meritos honores:

Pestilens

Peſtilens ſicut vapor inquinati
Sidcris, pulchros tetigit roſarum
Ordines, et purpureos comarum
Solvit amores.
Nutrit hæc iras, pariterque amores,
Sicut Ætnæo Enceladus barathro
Igneos amnes vomit uſtulatus,
Et ſimul plumâ nivis inſolutâ
Culmina canent.
Quam proditoris garrulitas malo
Vexat, rigeſcat lingua ſilentibus
Durata ſaxis, ut procacem
Dij Niobes domuere morbum,
Oblivioſo merſa ſilentio
Perdat ſonorum ſenſa recondita:
Lethæa ſicut quos vorago
Immemori penetravit hauſtu.
Non dicta ſignet credulitas levis,
Sed verba ſpargant flamina, ut
Euri citato ventilata
Gluma vago glomerat rotatu.

Actvs Tertivs,

Scena Prima.

Oromasdes. Arsaces.

Orom. *Iam læta cœptis porrigit frontem meis*
Fortuna, pleno spiritu impellunt ratem
Animæ sequaces; nec procul portus fugit.
Tu solus inhibes impetum fusæ ratis.
Seu remora piscis injicit navi moras
Salsum vomenti gurgitem, quanquam notus
Incumbit acris in renitentes sinus.
Arsaca, non licebit uxori meæ
Divortium remittere? ut faciles dies
Agam expeditus conjuge, et curis malis.
Arsa. *Rex magne, cœptis annuant superi tuis,*
Nec vis Deorum tristium, aut livor malus
Regni beatum nube contristent statum.
" *Sed esse superos cum scias, superos time.*
" *Cunctos deorum jura venerari decet,*
" *Magis imperantem.* Orom. *tangit hic populũ metus.*
Arsa. " *Rex plebis est mensura, pietatem docet*
Qui facit. Orom. *bonor regalis in vili est situs,*

Cui

" *Cui jusque fasque plebe cum sua par est.*
Arsa." *Pars magna regis decidit fastigio,*
Minùs cui licet esse quàm populo piuni.
Orom. *Reliquus Senatus ordo consentit mihi.*
Arsa. *Hoc est timendum nemo quod regi negat.*
Orom. *Cur solus in diversa regem distrahis?*
Arsa. " *Rationem amoris nemo cogitur dare.*
Orom. *Regina sterilis impedit regni vices.*
Arsa. " *Injusta facta regna regesque eruunt.*
Orom. *Sic Bactriani decidet regni decus?*
Nec per nepotum sceptra transmittam minùs?
Privata vel si tangerent animum manus.
At vestra flectunt; quanta bellorum seges
Hinc pullulabit, regis ignoti metu?
Quid factiosæ principum manus agent?
Vbi quisque regnum, nemo quod jure obtinet
Suum esse credit, quantus error partium
Manabit inde? bella cum plures simul
Reges creabunt, unicum victoria.
Arsa. *Si cura prolis, atque imaginis tuæ*
Sollicitat animum, conjuge hoc fiat tuâ,
Si fœta Iuno, mollis et spiret Venus.
Quarum fremente numine, et sterilis foret
Niobe superba, Belidum aut ferax parens,
Vel illa quæ tot filios, tot filias
Priamo creavit: Cernis exempla impia
Thalami coacti? quàm patrem se non velit
Miser Thyestes? viscera in viscera sua,
Sua qui recondit, quam Laius orbus foret?

Ætu beato funeris ſtructor ſui.
Exempla certant: queſtibus nullis magis
Laſſantur aſtra, et regia domus gemunt.
Quod ſi futuros proſpicis regni metus,
Iæreſque tangit, qui tuis ſceptris deeſt?
Probas amorem, non probas metum tuum?
Mortale non ſic ſprevit, et ſuum genus
Divum poteſtas, orbis ut curam exuant.
De rege, ſuperum viderit rex, et pater,
Populuſque cenſor principum, et vis ferrea
Sceptri ſequeſtra: ſed tuos pax altior
Beabit annos, ſi ſciant in te mori
Legem; nec orti ſolis expectent jubar,
Orom. *Hominum peribit hoc ad exemplum genus.*
Quis conjugalem Cypridis legem, et jugum
Sacrum ſubibit, cujus incertum metus
Torquebit animum ſemper, infamis velut
Saxi minantis Syſiphum lapſus premit.
Quis arva ſulcis tollet? aut fruges ſeret?
Quem rorulentus imber, et madidis notus
Exterret alis, quis fretum findet rate?
Quod Scylla latrans, et reſorbens æquora
Urget Carybdis, et procelloſo mari,
Tot ſaxa, ſyrtes, vortices, æſtus, vada,
Semper timenda; poſuit anguſtè deus
Vitæ laborem, nulla pars metu vacat.
Arſa. *Privata cautio non vetat mundi ſtatas*
Turare leges, liberi quamvis tibi
Deſint, manebunt Bactria, et humanum genus,

Orom.

Orom. *Privata decora ſubtrahis regi tuo?*
" Arſa. *Injuriam per publicam non fit decus.*
" Orom. *Ius eſt, ſalutem quicquid auget publicam*
" Arſa. *Ius illud eſſe, jura quod tollit poteſt?*
" Orom. *Vbi regna non ſunt tuta, ius faſq; excidunt*
" Arſa. *Vbi iura non ſunt tuta, regna decidunt.*
" Orom. *Rex deſtitutus prole dimidium ſui eſt*
" Arſa. *At ſæpe ſceptris excidit totus ſuis.*
" Orom. *Regem futuri temporis tangit ſtatus.*
" Arſa. *Cavet futuro ſi cavet ſuo ſatis.*
Orom. *Quæ iura lædit coniugis repudium?*
Arſa. *Lædit parentum, gentium, regni, deum?*
Debes Atoſſæ regij ſceptri decus,
Cuius parentis munus, hoc eſt quod regas.
Cum regna Moleon credita à tuo patre
Ipſe occuparet; regis ad Ganguridûm
Aulam volabas: ille reſtituit decus
Raptum coronæ, et filiam uxorem dedit.
Nunc exul illa repetet antiquos lares,
Intaminata? et ſcelere nullo ſaucia,
Cuius repulſam vindicet bello pater.
Orom. *Exordiatur bella: non nobis manus,*
Non arma deſunt, ſentiet quid Bactria,
Quid Oromaſdes poſſit, et gener ſuum
Socerum peroſus: turbidos ſed tu metus
Incautus auges, regis ignoras metum.

Actvs Tertivs,
Scena Secvnda.

Roxana, Beſſus, Siſimithres, Ariaſpe.

Rox. O *Luce, quáque veſcor aurâ charior;*
Natalis urbis tactus, in qua olim pater
Fauſtior maritus, humani modi
Menſuram adeptus, propiùs acceſſit deos:
Salve, et deorum ſi quis infelicium
Preces reſignat, ſis precante fauſtior
Te beato gaudium cingat ſinu,
Plumis et te protegat victoria.
Quantum inquietæ geſtiunt rerum vices?
Exnimus urbes in nemora, in urbes nemus.
Sic virentes arborum nutant comæ,
Sibilanti ſpiritu zephiri, fremit
Mollis ſuſurrus; vernulæ fundunt aves
Ad prima lucis regna, tinnulum melos:
Et captioſa ſub cavernoſis jugis,
Echo aucupatur vocis extremæ ſonos.
Ac arcuatos fornices, et turrium
Ducta cœlo culmina, et molem parem
Montí coloſſos cerno, et infauſtum patri
Nulæ nitorem, triſtis occurit mihi
Imago rerum veterum, et hanc ſuperi levent.

Beſſ.

Bess. *Quis innovatus sauciat mentem dolor?*
Quid in sereno nubilus cœlo, vapor
Obduxit imbrem? cur genas lachrymæ rigant?
Rox. *Genitor beate, mortuo si quis mei*
Sensus superstat, parce, nec votum meum
Fidemve posce: cur subitus animum metus
Labefactat, & cor pulsat objectum latus,
Ægréque subdunt corpori officium pedes?
Deprensa sicut fervido navis salo
Incerta fertur, quam procellosi maris
Hinc æstus urget, turbines illinc trahunt.
Bess. *Roxana, causas explica subiti metus.*
" *Generosus animus non leves motus capit.*
Rox. *Silentiosa noctis inter somnia,*
Ad regis ibam tecta suspenso pede:
Nec regis illa tecta, sed sylvæ horridæ
Subitò videntur, unde remetiri gradum,
Perplexus error frondium, et viæ negant.
Sicque implicatæ, tigris infamis loci
Apparet horror, igneas spumas vomens
Primóque prolem dentibus sævis rapit,
Hausitque totam: deinde me prædæ aggerit,
Horrore quo perterrita è somnis mico.
Bess. *Vt cum fluentis ebrius Nilus pater,*
Canopi in agros hospites undas vomit
Iterumque sorbet, squallidi è cumulis luti
Animata crescunt monstra, et effigies novis
Miræ figuris, exerunt varium caput:
Sic quod diurnus condidit sensus, vigil

Animus

Animus retractat, miſcet, et fingit retro.
Hinc mille-formis rebus è varijs micat
Imago, cum tot monſtra iungantur ſimul.
" *Sic error eſt metuere quos facis metus.*
" Rox. *Inſigne raro ſomnium caret fide,*
Sed ſomnijs his exitum ſuperi negent.
Quid hoc? quid in me ſic reluctatur mihi.
Sis. *Mater* Rox. *Siſimithra.* Sis. *cur moras mater*
Properemus, atque eamus obviam patri. (*facis?*
Rox. *Iter ſecundent ſuperi, et hunc metum levent.*
Sis. *Ego non revertar amplius noſtram domum.*
Rox. *Inauſpicata verba cur jactas puer?*
Ari. *Mater* Rox. *Ariaſpe.* Ari. *hanc arborem magnam*
Cur ſuſtines dextram, caput numquid dolet? (*vides?*
Sis. *Lachrymabor ipſe ſi video lachrymas tuas:*
Alloquere matrem ſoror Ariaſpe, heu dolet.
Ari. *Quis te laceſſit mater?* Sis. *ipſe mortuum*
Hoc pugione dedero qui te verberat.
Rox. *O vera matris, vera patris pignora,*
Vobis eatur, quicquid adverſi Deum
Minatur ira, recidat in meum caput.
At vos beati creſcite et patri, et mihi,
Quicunque ſed vos caſus involvit, prius
Libabo dulce ſobolis utriuſque oſculum.
O dulce oris ſpiritus, dulce oſculum,
Et flos genarum ſuavior vernis roſis.
Abſiſte dextrâ ſiſtere hunc fletum tua,
Nam leniendo lachrymas magis moves.
Beſſ. *Si poſſit eſſe pectori pietas redux,*

Rediret

Rediret iſto flebili exemplo mihi.
Lachrymas inanes excutit ſurdus dolor,
Riget cor intus, ſicut imbricitor Notus
Diverrit arbori folia, at arbor manet:
Sed ecce mater regis Oromaſdæ venit,
Compone fletus, obvios tendens gradus.

ACTVS TERTIVS,
SCENA TERTIA.

Atoſſa, Roxana.

Atoſſ. *SIc nulla vultus aureos nubes tuos*
Sol alme fuſcet, purus et cœlis eas,
Cujus petitum ſidus illuxit diem.
Roxana noſtras venit optata in manus.
Sed antequam quò cœpta pertendunt eant,
Fingamus animum qualis et matrem decet.
Roxana ſalve, Matris amplexus ſubi.
Roxana ſalve, cujus ignotus mihi
Vultus decenne prorogavit gaudium.
Et vos nepotes teſſeræ indolis meæ,
Libate primum grati amoris oſculum:
Humeriſque dulce pendeat noſtris onus.
Rox. *Quæ tanta pietas matris inviſam nurum*
Amore fovit, gratias non eſt meum
Pares referre, ſed deûm, et nati tui.

At interim (quod Principes munus decet,)
Matremque liberosque famulos accipe.
Et ante lassum reddet occasus diem
Ortusque merget, ista quam pietas cadat.
Atoss. *Exurge genibus, supplices aufer manus,*
Præstabo mox hoc socrus obsequium tibi.
Ingredere felix, sicut ad regnum decet,
Cultumque sume regium, et dignum viro.

ACTVS TERTIVS,
SCENA QVARTA.

Arsaces solus.

O Cæcus hominum sensus, & damno suo
Iactata vota, quos sitos humili statu,
Incertus Aulæ splendor illexit novos
Tentare cursus, et vagæ sortis rotæ,
Torquenda membra credere, Ixion velut
Iustis deorum calculis pœnas luit.
Censura stulta peperit errorem hunc gravem.
Regumque sæpè blandus, et semper levis
Affectus, & quo nihil in incerto magis.
Non unda Ponti blanda, sopito Noto,
Non verna cœli puritas, non Iridis
Arquatus umbo, mille pigmentis jubar
Mixtum revibrans, flaminum non Æoli

Divisa

Diviſa regna per tot incertas vices.
Procella major regias verſat domos,
Illis recurrit quiſquis incertos ſtudet
Vitare caſus plebis, atque injurias
Potentiorum, tuta ceu periculis
Hic ſtaret ara, cura cùm nuſquam magis
Homines fatiget; nec tot Ægæo mari
Nautam laceſſant turbinum ſubiti metus,
Vada inquieta ſyrtium reciproca,
Scopuli latentes, fervidus tumor maris.
Huc omnis illa turba vitiorum ruit,
Præceps honoris ambitus, ridens dolus,
Suſpicio larvata, impudens calumnia,
Invidia mordax, ficta diſſimulatio,
Illiberalis ſervitus linguæ, & deûm
Supina cura, in impares faſtidium,
In Principes cenſura, bilis in pares:
Faſtidioſus guſtus animi, & partium
Non ſanus ardor, & ſuſurri mobiles
Diſcordiarum, quicquid & alibi eſt malum,
Hic ſeminatum creſcit ad ſummum ſcelus.
Sed major illos cura verſat & timor,
Secreta quorum regia incumbunt fide,
Vt ſacra recti ſenſa conſilij micent
Virtute, quamvis inclytum nomen ferat.
Rex Oromaſdes angitur quenquam ſibi
Obſtare, demi credit à regno ſuo,
Quicquid negatur, auget hoc regis malum
Facilis ſenatus, lentus aſſertor ſui

Certusque regi si quid urget obsequi.
Sic flexa regis gratia, & laesus favor
Abscessit à me: jamque nudatum premit
Calumniatrix lingua, quæ famæ suæ
Augmenta per veteris ruinam colligit.
Quocunque volvent fata nil statuent novi.
Nam fluxus auræ Euripus in varias vices
Diffusus, animum per tot exempla instruit
Vt dura quavis sæpe spectando feram.

ACTVS TERTIVS,
SCENA QVINTA.

CHORVS EX QVATVOR.

4. *O Vis indomiti sæva Cupidinis,*
Et fervor Veneris consilij impotens,
Quanto turbine agis pectora amantium!
1. *Imbrium non sic gravidus ruinâ*
Ebrias torrens jaculator undas,
Cùm brevi indignatus abire ripa,
Radit objecti scopulosa montis
Terga, camporum nemorumque prædam,
Ore resorbens.
Non leves inter cineres sepultus,
Quando grassatur redivivus ignis,
Flammeum vibrans caput, et demorum

Tecta,

Tecta, jejuno populatur ore.
3. *Cum puerimos occupat artus,*
Non tam ratio tendit habenas,
Non pudor undas gelidas rorat,
Non alma fides conſtat amanti,
Nil penſi facit, ut vota cadant:
1. *Boſphori ſic cùm laceraret undas,*
Torvus inſanis Aquilo procellis,
Stridulis et cardinibus tonaret
Porta cœlorum, juvenis Læander
Per mare abruptum, natat, & tremendas
Noctis horrenti gremio procellas.
4. *Quid Medeæ memorem facinus?*
Qua Cythereo ſaucia ſtimulo,
Non ignivomos tremuit tauros,
Non pervigilis torva Draconis
Lumina; non eſt facilis ingens
Affectus: quocunque cadit ruit.

ACTVS QVARTVS,
SCENA PRIMA.

Nuncius, Chorus, Moleontis umbra.

Nun. *O Si furentis turbinis procellipes*
Quadriga raptum me per aëreas plagas,
Sistat nivoso Caucasi infamis jugo:
Flagrantis aut qua solis incumbens vapor,
Lybicas arenas damnat aterna siti.
Aut nubis atræ condat obscuro sinu,
Ne fulminantis ardeam tadâ Iovis,
Terra ve hiante mergar in stupidum chaos,
Natura dum se vindicat, turpem et domum
Et tanta scelerum monstra, ad infernum premat.
Chor. *Quis horror iste subitus, & tantum scelus?*
Nun. *Aut fulminator vindices frustra pater*
Si quarit iras, et Cyclopeæ manus
Tardè caminis flammeum versent opus,
Me nube raptum, vibret ut fulmen citis
Tortum lacertis in gravem scelere domum.
Cho. *Authorem sceleris effer atque ipsum scelus.*
Nun. *Quis me expiabit ostijs septem suis*

Ægyptus

Ægyptus undans, rore conſperſum pio?
Non omnis unda, quamque ſyderens poli
Fornix coercet, penſiles thermæ Iovis,
Terram rigantes, quamque ſpumoſis Thetis
Volvit lacertis, purget hos viſis malis
Oculos nocentes. O ſi abhorrendæ ſtygis
Epotus imber mergat æterno ſitu
Tam ſæva ſcelerum ſpectra quæ memorem gravant.
Cho. *Perplexa quorſum verba ſic miſeras tenent?*
Vtrumne rupta Tartari repagula,
Damnata cœlo monſtra torpenti vomunt?
Et ſævus Atreus regis intravit domos,
Tuóque Atoſſa ſe recondit pectore?
Iterumne nocte flammeum merget caput
Dies recurrens? & ſuos natos pater
Iterum vorabit? Nun. *Exolevit hoc ſcelus,*
Atoſſa victrix Atrei æquavit nefas.
Cho. *Expone ſceleris ordinem, et molem mali.*
Nun. *Suprema qua pars regiæ claudit latus,*
Gelidumque pigræ ſidus urſæ reſpicit,
Secretus horret thalamus, et rarum jubar
Cœli receptat, ambitum totum loci,
Feralis umbrat taxus, et buſtis comam
Fundens cupreſſus, unde bubo lethifer
Strigeſque noctuæque flebili modo
Strident ſilenti nocte, et horrendum gemunt.
Opacus intus horror infamat locum,
Tacitumque murmur conſcios addens metus
Inerrat ades: noctis hic tacito ſtatu

Infame magicis cantibus livet ſacrum,
Et crebra cades volucrum, et humanis jecur
Fibris revulſum palpitat triſti rogo,
Atque imbre multo ſanguinis ſpumat ſolum:
Et tecta fumo ſordidum rugant caput.
Hinc ſæpe triſtis gemitus, et vegeto die
Clangunt catenæ, & ſtrepitus armorũ gravis
Colliſus in ſe; ſæpe verberibus tonat
Tortis flagellis Æacus ſævus crepans,
Animæque pœnis ſauciæ ululatus cient.
Rauco boatu ſæpe Tartareus canis
Trimo remugit, ignibus crebris micant
Ignava tecta, nec ſuas flammas timent.
Huc intrat omni liberum pectus metu
Atoſſa geſtans, et locum ornari imperat:
Aulæa nigra penſile, et mœſtum decus,
Cingunt parietes, nullus at ſubtemina
Interpolavit artifex, nec lucidum
Variavit orbem, floribus mixtis acus.
Non vernus errat pictus aulæis decor,
Violæ nigrantes, purpurans ſplendor roſæ
Narciſſus ardens, lilia auratis comis,
Lauri virentes, ſedulæ et pratis apes:
Sed unus horror, et ſibi conſtans nigror
Aulæa pingit, parietem, tectum, ſolum.
Qualis nigrantis Tartari ornatus fuit
Cum raptor Orci duceret Proſerpinam.
Sic nuptiales ornat infelix fores
Nemus cupreſſi, perque nigrantem domum

Horrenda

Horrenda pendent ſigna, et infauſti ominis.
Crudus comeſis liberis conjux Rhea,
Medea laceri fratris artus dividens,
Et omnis Argi infamia, elixus Pelops,
Exuſtulatus Pliſthenes, vorax ſui
Miſer Thyeſtes, carptus et matre à ſua
Penthens, quadrigis tractus Hypolitus patris.
Perque ædium omnes angulos, ater ſtetit
Lychnuchus ater, fumidam quaſſans facem,
Defuncta tanquam ſpectra de buſtis ſuis
Rapta favillâ languidas vibrant faces.
Cho. *Quorſum apparatus tendit infauſtæ domus?*
Nunc. *Roxana, poſtquam balnei crepidine*
Emerſa, rores exuiſſet frigidos,
Ceu nuptialis duceret ritus ſacri,
Hæc tecta penetrat, biſſini veli leves
Induta amictus, et thoris fulvæ comæ
Adoperta vultus: Qualis Oceano emicat
Diana, quando fratris oppoſitum jubar
Speculo roſanti frangit, et nubis ſinu
Amicta, terris invidet plenum decus.
Regalis ambit indoles geminum latus,
Minora tanquam, juncta lunæ ſydera.
Quo viſo Atoſſa præcipit claudi fores,
Teneraſque diris vinculis cogit manus.
Captæque mox increpitat indignis ſonis.
Roxana thalamos cernis & tædas tuas.
Aulæa pulchra, fronde viridantes fores
Lætæ cupreſſi, lucidas geſtant faces

Pueri

Pueri nitentes, triſtis augurium canet
Solenne bubo, exordietur nuptias
Saturnus auſpex, et Tyſophone pronuba &
Signator orcus, liberi tabulas dabunt
Fietque gemitus, arrha, ſponſalis tua.
Et liberorum ſtriduli manes canent
Feſtum hymenæum: conjugales lampades
Furiæ rotabunt, Baccheus liquor fluet
De Ditis amne, Belides undas tuis
Epulis refundent: omnis umbrarum chorus
Menſis recumbit, nunc ſibi thalamum novum.
Cho. *Quid illa contrà.* Nun. *veris et cythariſtria*
Quam naſcituræ ſuave Matutæ, melos
Modulantẽ, aduncis unguibus milvus rapit,
Conſumpſit ipſum ſpiritum nimio metu:
Sic illa poſtquam ſenſit infauſtos domus
Diræ apparatus, hauſit & truces ſonos,
Collapſa ſenſum ſudit, & morti vicem
Dedit ante mortem, Tanto Atoſſa ſævior,
Ceu torva prædam tigris abreptam fremens,
Fugiſne clamat? mortis & præoccupas
Moriendi ſenſum? quanta pars mei perit
Si ſic peribis, ite fomentis fugam
Latentis animæ ſiſtite: hic matrem par eſt
Simulare Atoſſam. Nata quos thalamos fugis?
At illa ſicut imbris effuſi, roſa
Gravis ruinâ, flaccidas vergit comas:
Ægrè refecta, languidum obliquans caput,
Moriente voce ſcire delictum rogat.

Mixtoque

Mixtóque fletu liberi veniam petunt,
Parce avia matri, parce matri clamitant.
Atossa, nihilo mitior contrà increpat.
Roxana pellex regis, et pellex mihi,
Disce abstinere conjuge alieni thori:
Contaminare regias tedas time,
Si mortuorum sensus in formas novas
Post fata migrant obita, tunc disce et time;
Vitæ parum nunc restat, exemplo nihil,
Irriguit istis illa tam diris sonis:
Et ô deorum si quis in cœlo regis,
Et ô piorum si quis inferno lates,
Vos testor (inquit) prodidit fidem meam
Vitamque Princeps; simplicem elusit dolis.
Quæ nunc precabor astra, quem flectam deum?
Quod numen exorabo? nisi numen tuum
Regina, quo te cunque fas ritu deam
Miseræ precari, pone non totas dea
Iras, sed auge, fœminæ quantum est pati.
Vel serva vivam, major hinc regi dolor;
Vel sola moriar, majus hoc divæ decus.
Cho. *Atossa non has flebiles cepit preces.*
Nun. *Vt sanguinata tygris Hircanis jugis,*
Cautesque crebris fluctuum Marpesia
Pulsata nimbis, ridet insani maris
Iram impotentem, nec suo cedit statu:
Sic illa surdis auribus fregit preces
Verbisque parcit, & suum agoreditur scelus:
Primóque tortis expediri præcipit

Flagella

Flagella nodis, imperata tardior
Vrget minister: creber & roseam cutem
Plagis aravit, lividi vibicibus
Sulci tumescunt, corpus & totum fuit
Pro vulnere uno; sæpe vibratum suo
Lorum flagello adhæsit, invitum & scelus
Tardè peregit: sæpe ceu tubulis latex
Ruptis, æqualis exilit, fusus cruor,
In ora Atossæ purpuræ guttas pluit
Tingens pudore debito invitas genas.
At illa spumas sanguinis læta accipit,
Vt ficca tellus lucidos imbres bibit
Torrente Cancro: sæpe puerorum indoles
Pro matre posuit terga succedanea
Prohibente matre, dulcis est contentio
In re dolenda, mutuò pietas fuit
Pro matre soboles, mater & soboli timens.
Moleo. *Hujus cruoris dulcior latex mihi est*
Quàm fons Lyæi, nectar aut summi Iovis.
Nun. *Atossa postquam sanguinis satis sitim*
Primam rigavit, majas orditur nefas,
Gladiumque dextra matris invitæ locans,
En (inquit) ista sceptra Roxanam decent,
Regina causam pellicis dijudica.
Moleo. *Sic sic decebat, æquus hoc statuit Minos.*
Nun. *Fulgore gladij gemina proles territa*
In matris ulnas cessit, atque arctis latus
Manibus premebat, pampini ut vitem premunt;
Quos illa raptim matris avellit sinu,

Gladioque

Gladioque ſiſtit, et recuſantem manum
Cogit, trementem firmat, errantem regit
In liberorum pectus, & flexum caput
Matris reducit, cernat ut vulnus ſuum.
Pungiſne natum mater? infelix puer
Clamat: Feriſne clamat illa filiam.
Sic impiatam ſuo ſcelere manum
In prolis egit viſcera, & in ſe ſui
Ebullientis ſanguinis rorem capit,
Vivi ut metalli, exuſtulata grandine.
Nec miſera mater, queſtibus vanis iter
Suffecit, alto ſed rigens animus metu
Niobes parabat fata; ſed torvum furens
Regina, ſponte dixit ordiris mori?
Invita morere, dumque te ſentis mori.
Sic fata gladium merſit in lævum latus
Capulóque adegit, atque luctanti viam
Animæ recluſit: illa ne natos ſuos
Premeret ſeorſim cecidit. Cho. *O nulla ſcelus*
Voce exprimendum. Nun. *Frænet affectus ſuum*
Adhuc dolorem, magna pars mali ſilet.
Cho. *Nondum ſtupendum facinus abſumpſit ſcelus!*
Nun. *Quem rere finem parvus eſt mali gradus.*
Cho. *An inſepultum dedecus cœlo dabit.*
Nun. *Dabit ſepulchrũ.* Cho. *vile.* Nun. *regium nimis.*

ACTVS QVARTVS,
SCENA SECVNDA.

Oromaſdes.

Dij conjugales, et genie cuſtos thori
Fideſque pinnis apta, quæ procul loca
Nunc vos recondunt? an gravi brumæ gelu,
Damnata Thule, an exules terræ malis
Cœli receptat aula; nam nomen merum
Nunc eſſe jura conſtat, et fas et fidem,
Quando illa rupit clauſtra genialis thori,
Et turpi amore lucidam famam ſui
Strinxit pudoris, caſtitatis unicam
Luxiſſe quam decebat, exemplis facem.
Et ille adulter conſcius noſtri thori
Factus ſequeſter, cujus officium et fidem
Mea promerebant merita, terræ filium
Re ſpéque caſſum, indebitis honoribus
Erexi in altum, et proximo fixi gradu,
Summiſque rebus conſulem, et fidum caput
Mihi ordinavi præter et legem thori
Titulumque regis, cætera haud impar fuit.
Nunc ille equeſtris factus, auriga impotens
Omnes habenas fundit, et modum ſui
Tenere neſcit, forſan et ſceptri decus

Perſtringit

Perſtringit oculos impotentes ad inbar
Regni coruſcum, forſan & tacitum dolum
" *Roxanæ aperiet, ille ſecreti fidem*
" *Nunquam recondet qui thori violat fidem.*
Ergo antè cordi lingua quàm pandat viam,
" *Caput amputetur, illa ſecretò latent*
" *Quæ nemo novit arbiter: minus timet*
" *Qui non timetur, utar hoc recto deûm*
Favore, per quos dedecus turpe hoc thori
Secreta nutrix prodidit, & nunc exilit
Ovans adulter gaudio, et choreas agit
Io triumphe: macte ſis Beſſe hac tua
Virtute, lata dabitur ad cœlos via.

ACTVS QVARTVS,
SCENA TERTIA.

Beſſus, Oromaſdes.

Beſſ. *NVnc hic licebit liberè quidvis loqui.*
Orom." *Moriturus audet liberè quidvis loqui.*
Beſſ. *O lux venuſta, clara ſolis filia.*
Orom." *At ſæpe claram complicat nubes diem.*
Beſſ. *Per purpuriſſam conſecranda literis.*
Orom. *Et purpuranti ſanguine hoc fiet tuo.*
Beſſ. *Te diva credo ex gaudijs natam Venus.*
Orom. *Fruſtrà es, cruore patrio nata eſt Venus.*

Beſſ.

Bess. *Inter supremos cœlites sola es Dea.*
Orom. " *At insolentes sentiunt Nemesin Deam.*
Bess. *Victor triumpho, castra devicta occupo.*
Orom. " *At sæpe pars devicta victorem premit.*
Bess. *Horti spolia Dracone sopito tuli.*
Orom. *Quem dormitare credis, attendit magis.*
Bess. *Nunc mala victor Hesperi fero aurea.*
Orom. *Cur ominosa verba jactas nescius?*
Bess. *Cœlo recludam sicut Alcides viam.*
Orom. *At is per orcum stravit ad superos iter.*
Bess. *Super astra celsus gradior, et limen poli.*
Orom. *Quò subveheris altiùs, graviùs cades.*
Bess. *Tibi Dione debitas laudes canam.*
Orom. *Sic ante lethum præscius cygnus canit.*
Bess. *Malum ne mordet fascinum sortem meam?*
Orom. *Momordit, & jam dissecat filum tuum.*
Bess. *Quid hoc? cor altis pulsibus calcat latus.*
Orom. *Molitur inde transitum, quem nunc dabo.*
Agite ministri, iussa transmittat fides.
Bess. *Eheu! in ipso versor orci limine.*
Per te tuamque gratiam, et vitam tuam.
Orom. *Cessatis? et vos flebilis tangit dolor.*
Bess. *Moram loquendi proroga, vitam nega.*
Orom. *Æquale fatum sentiat, si quem premat*
Similis reatus; turpe mittatur feris
Rapidis cadaver; tuta nunc nullum fides
Testem timebit nostra; securo loco
Roxana constat, tota suspicio mala
Linguæ sepulta est: conjugis super est bona

Amolienda

Amolienda cura, quid nunc consulis
Amor metusque, lege maculosam thori
Injuriamne vindicabo, et dedecus
Regis per ora curret, et plebis jocos?
Tacitusne factum patiar elabi, et meas
Caras vorabo? sicut offensæ impotens
Reponere iras. Plura mereatur pati,
Quicunque patitur immerens injurias.
Sed conjugis famula obvios tendit gradus,
Damiana quid tu, quid Atossa nunciat?

ACTVS QVARTVS,
SCENA QVARTA.

Damiana, Oromasdes.

Dam. *REgi salutem et prosperos annos, rogat*
Atossa Divos, téque convivam suo
Festo rogavit, more quod lucis statæ
Natale celebrat hunc diem conjux: tua
Augustiorem credet ex præsentia.
Orom. *Promitto. Vires consulendi hic explica*
Anime, quid hæres, quid pias curas agis?
" *Sequentur illæ; rebus utenti, pio*
" *Esse otioso licet: is est frustrà pius*
Cui vita dubitat, tolle turbantem obicem

Sed tolle per te, tanta non benè creditur
Tollenda vita niſi cui expedit magis.

ACTVS QVARTVS,
SCENA QVINTA.

CHORVS EX QVATVOR.

1. *PAter altitonans quem ſyderei*
Cortina poli tremit, & liquidum
Aeris æquor, ſi res hominum
Cernis, & omnes penetras tractus
Oculi radijs, cur non ſcelera
Vindice dextra plectis? et iras,
Tam lentus agis? 2. *Murmure cæco*
Nubes gemit, & radij currus
Per rupta micant latera: montes
Sæpe involvis fulminis ictu,
Atque ſuperbas fumida quercus
Tua tada rapit; ſed mala noſtri
Generis raro fulmine plectis.
3. *Ad tua quondam fata Thyeſtes*
Flexit refugam lampada Phœbus,
Et cæruleo proluit hauſtu
Nondum emeritos fine jugales:
Non minor hæc eſt cauſa latendi,

Et digna tuo Phœbe exilio.
Nunc vel geminos deserat Arctos
Squammosus Draco, novus Herculeæ
Virtuti labor: aut bis senis
Rutilum signis fugiat limbum
Astræa polo pronior imo.
Aut lunatum torqueat arcum
Chiron semivir, atque sagittâ
Feriat terras, aut monstrum aliquod
Fiat, in ævum quod vetus abeat.
Sed nos intrò vocat obsequium
Atossa tuum: pariter nocuas
"Tua noxa facit: regum fatum
"Sæpe et famulos premit immeritos.

ACTVS QVINTVS,

SCENA PRIMA.

Atossa, Chorus.

Atoss. *AVræ fluentes, atque venti flamina*
Quæcunque fertis expedita nuncia
Per lata terræ climata, et cœli plagas,
Cùm vos ad Hesperiam leves alæ vehent,
Hæc dicta Medeæ date; haud superbiat
Cristasque tollat propter antiquum scelus:
Atossa maius hoc dedit, maius dabit.
Nec fel Draconis noctuaque sanguinem,
Nec huc petivi cantilenas Thessalas,
Sed omnis herba luridi succi abfuit,
Novendialis raptus & busto cinis,
Et luna pallens ad tremenda murmura,
Hoc quicquid est ab uno, in uno pectore
Natum & petitum est, nemo laudem hanc dividet.
Cura ultionis vosque felices manus,
Vltum est abundè, & ipsa quod fateor satis.
Ah iamne satis est? tam breves iras alis?
Si sic quiescas summa vindictæ perit.

Extende

Extende pœnam, tangat Oromaſden dolor.
Hæc velita vix reſtat ardor prælij:
Torrens tepentis ſanguinis rigat manus
De pellice ipſa regis & gemino ſato,
Vltráque ſitiunt donec ipſum exhauriant.
I nunc miniſtros convoca, dapes parent
Menſaſque plenas regia pompa ſtruant.
Lymphæ fluentis lucidos hauſtus date,
Vt ſanguinatas rore ſuffundam manus.
Qualis cruori ſplendor? et nitens rubor?
Ægrè refundo, ſic manum bellè decet
Ceu purpuriſſans mixta liliis roſa.
Tamen refunde manibus, ut ſitiant magis.
Cho. *Ato ſſa quales conjugi dapes paras?*
Ato. *Solenne moris annui convivium,*
Quod rege dignum eſt regis & ſponſa nova.
Amavit ille liberos, & pellicem,
Vitæ potentes, ut nihil par aut ſupra:
Ecquemne credis ſuaviorem mortuis
Cibum parari poſſe? Cho. *quantum eſt hoc nefas*
Quod neſciens admittet? Ato. *hæc pietas foret*
Si neſciens hoc faceret, at ſciet miſer.
Cho. *Cur ſic corollam bracteatam reſpicis?*
Ato. *Succus veneni laureas tingit comas,*
Hæc implicabit aureum vini ſcyphum
Vnde ille Bacchi nectar, & mortem hauriat.
Cho. *Etiam marito ſæva moliris necem?*
Ato. *Nihil Thyeſtem, Tantalum nihil ſupra*
Conabor? hoc unum ſit exempli mei.

Cho. " *Virtute pulchrum eſt lumen exemplum dare*
" *Haud ſcelere.* Ato. *Non eſt ultio ſceleris ſcelus.*
Cho. *Si jure fiat, inquè ſoles noxios.*
Ato. *Quid bella faciunt aliud, ubi tota oppida*
Etiam immerentûm, Principis cauſa ſui
Ruina ſorbet una, & hoc gloria
Regis vocatur, culpa privati eſt ſcelus.
Cho. *Vnde hic Atoſſa pectore inſævit furor?*
Ato. *Mirare potius quòd tonante buccina*
Non Bactra quatiant tota, & armata ſolum
Premant cohortes, flammea quòd non pice
Collucet aula, & ſanguinis ſpumas agens
Violentus Oxus pingat Hyrcanum mare,
Mirare tantum plecto quòd leviter ſcelus.
Cho. *Vacare debet ſcelere, quæ plectit ſcelus.*
Ato. *Injuriarum lis ſed intendit parem*
" *Querelam utrinque.* Cho. *Fœminam incautam dole*
" *Sed prodidiſti.* Ato. *Diſpari non ſunt loco*
" *Virtus doluſque in hoſtibus?* Cho. *Num fœmina,*
Hoſtile nomen patitur? Ato. *Inter fœminas.*
Cho. *Roxana te neſcivit & ſortem tuam.*
Ato. *At fœmina omnis odit ignotam æmulam.*
Cho. *Inſons at hujus criminis proles fuit.*
Ato. *Sed fructus hujus criminis proles fuit.*
Cho. *Cur addidiſti cadibus culpam thori?*
Ato. *Vindicta ſceleris ſumma ſit ſcelere pari.*
Cho. *Rex vindicabit iſta.* Ato. *Conjux regia*
Jam vindicavit. Cho. *Non decet ferrum tuam*
Atoſſa dextram. Ato. *Sed caput minùs decet.*

Cho.

Cho. *Quid fœminis cum Marte?* Ato. *Quid Veneri cum*
Cho. *Regina metues vindices rarò deos* (*viris?*
" *Flagitia fallunt.* Ato. *Ista memorato pijs:*
Casurus alto, respicit terram haud polum.
Sed jam Tyrannus tendit ad cœnam gradum,
Nunc fronte lata verba simulata eloquar.

ACTVS QVINTVS,
SCENA SECVNDA.

Oromasdes, Atossa.

Orom. *QVamvis Senator providus longos metu*
Vitare monet, et pellicis notos dolos,
Tamen impotentem provehunt ira et furor,
Animoque fixum est tædia et graves moras
Metusque nunc finire, rem facilem dabit
Corolla succis illita, & virus malum
Spirare docta: totus internus furor
Velo latebit: vultus iratum neget.
Ato. *Pax alta, divi prosperi, & ridens salus*
Regis secundent vota: mihi latum diem
Matuta luxit, regis & præsens favor
Ceu sidus aliquod clarius spargit jubar.
Orom. *Redde expeditos conjugi amplexus. Dolor*
Parum recede, clarus hic dies mihi
Natalis elucebit. Ato. *Oromasda inclyte.*

Sic gratiarum teneor, ut quanto magis
Rependo tanto debeam. (Furor file.)

ACTVS QVINTVS, SCENA TERTIA.

Chorus canit.

Geniale ſacrum Principis almæ
Currens reſtituit vagus annus,
Matuta jubar roſeum fuſco
Condidit ortam veritâ formam
Atoſſa tuam, ſed tibi felix
Semper veniat, redeat annus.

ACTVS QVINTVS, SCENA QVARTA.

Oromaſdes, Atoſſa, Molcon, Arſaces.

Orom. *HAbet, peractum eſt, affer huc dapes meas.*
Moleo. *Nunc ultione ſicca turgent lumina,*
Et irrigatum cæde ſpumantem halitum
Ructat cruoris, dicite inferni incolæ
Poſt ſtupra cædes, toxica, humanos cibos,

Ecquid

Ecquid ſuperſtat? ſi ſuſpicto, luſum eſt ſatis,
Vtrinque mors cœpta, quod reſtat Furor
Pœnæque peragant, oſſa nunc mollis mea
Pulvis ſuperſtet, et novæ cingant roſæ.
Orom. *Atoſſa dulce ferculum dabo tibi*
Si fortè Beſſum noveris, ſume hoc caput.
Dudum placebat, fruere delicijs tuis.
Nunc oſculare, & regium in thorum vehe.
Ato. *Agnoſco vultus ſigna, ſat certè cibus*
Placet palato, diffiterī gratias
Regale non eſt: mutuæ fient vices
Epulaſque reddam, quas Iovis cerebrum putes.
En rara menſæ gloria, et dapum ſtrues,
En delicatam cum ſuis pullis avem,
Non iſta volucris orbe de noſtro venit,
Longinqua ſed per maria, per terras vagas,
Sylvâ prehenſam vexit huc annis decem
Expertus auceps: luxus hic regem decet. (impia?
Orom. *Quale monſtrum cerno? qualis forma rerū hæc*
Lucidi currus polorum, túque cœlipotens pater,
Cur jubar clarum refundis intuendis triſtium
Actuum ſpectris, coruſcum, & nube non condis caput,
Flammeumque lucis oculum ferrugineo ſyrmate
Noctis involvis, genuſq; ſepelis humanum in Chaos?
Suſtinetis intueri, triſte dirumque hoc nefas
Lumina oculorum, nec exilitis imis ſedibus,
Nec meum pectus ſtatim rigeſcit in marmor gelu?
At tu Leæna ſtirpis haud noſtræ indolis
Non una ſub te Scylla, non una impotens

Medea

Medæa latitat: omne ſed mundi ſcelus
Opprobrioſum quicquid eſt, famæ deeſt,
Stabulatur in te, Qualis Hircanis jugis
Altrix leonum ſaltus, & cautes tuos
Incruſtat artus, Caucaſi O pectus ferax
Mille furiarum. Ato. *Quanta pro me duceret*
Lamenta Regis charitas? pro pellice
Quæ ſic liqueſcit; intima amplexus pater
Natiſque conjugíque: Quàm te diligunt
Corporibus orbi, qui venire ſuſtinent
Regem ut ſalutent. Orom. *Mænas inſana impio*
Stimulos dolori ſubdis? & tantum in nefas
Furibunda ludis? O Furia Scyllæ quóque
Pudenda vel Medeæ, et orci facibus.
Sed ſi cruentum quod tuis oculis jubar
Scintillat, iſta cæde reſtinxit ſitim.
Defuncta redde membra, quod & hoſtes ſinunt.
Ato. *Dedi, dabóque: ſtulte quos; habes rogas?*
Coninx voraſti coniugem, et natos pater;
Quid animus hæret, tam citò evadis fugax?
Revocate lapſum, magna pars pœnæ perit
Ni vivat ultra, & ſentiat malum ſuum.
Orom. *Poſt iſta ſcelera ſuſtinet cœlum ſua*
Durare lege? nec ſolutis orbium
Clauſtris, ruinæ mundus incumbens ſuæ
Se noſque ſepelit, ſentit hoc tantum nefas
Ignava tellus, nec fatiſcens præcipes
Aperit hiatus, & ſuo rictu vorat
Pariter nocentes? Phœbe nunc flammis tuis

Flagrare

Flagrare mundus debet, & tuo pater
Stridente diram fulmine involvi domum:
Pelagus malorum cerno, quod non littorum
Latus coereet, nulla quod vincat ratis:
Roxana conjux chare, Sisimithra puer,
Tenera Ariuspe, ubi estis? inter viscera
Heu obloquuntur, quos habeo desidero,
Quos tango nequeo tangere, amplecti volo
Quos undique amplector, procul sunt & prope.
Cur mortuos non viso? cuius maxima
Pars mortis est, & mortuis præbet locum.
O versa rerum jura, sub natis pater
Superstes esse debet, at in me mei
Rediere nati; nunc quater geminus Gigas
Ter aucta gesto membra, terque auctus dolor:
Exhauriendis una sed lingua est malis.
Os claude limen vocibus, crescit dolor
Dolendo; at O reclude ut hinc ebulliant
Gemitus meorum: Condat aternus sopor
Oculos profanis impiatos visibus:
Sed ô patescant, ut quod in me non meum est
Videant sceleſtam cædis Authorem mori:
Gladio recludam viscera, at sic coniugem
Natosque vulnerabo, propter vos mihi
Parcam nocenti! Ato. *Ponere hanc curam potes*
Compendiosam, namque lethalis tuas
Iam vis veneni decoquit venas miser
Quod de corollâ fluxit in laticem meri:
Nunc se explicavit pœna, vindictæ sat est.

Quod

Quod ſeptias te miſerum, at hoc unum abfuit,
Interfuiſſes conjugis cædi, & tubis
Ebullientem combibiſſes ſanguinem:
Te neſciente dexteram merſi in latus,
Et corda fibris rupta compreſſi manu,
Animaſque quiddam ſtridulum et fiſſos ſonos
Singultientes ſanguine extinxi ſuo.
Nec tu trementes videras artis focis
Stillare ſaniem, nec verubus aſſum ſecur
Jam palpitare: noctuas nec tu truces
Circumvolare tecta, & ardenti è vero
Laniare carnes, igne fumantes ſuo.
Orom. *Viciſti Atoſſa, parte nec meriti extima,*
Illam repono gratiam, per te innocens
Quod mox abibo: tota laus ſceleris tua eſt.
Sed non inanes ſenties dici deos:
Reſpexit in te Nemeſis, ultrices deæ
Mox inſequentur: errat in venis tuis
Virus draconis noxium, fato pari
Invita defungere, victi vicimus.
Ato. *Super cadavera boſtium dulce eſt mori,*
Non ſola jaceo, magna majorem ruens
Premo ruinam, nobili hoc fato minor
Eſſem ſuperſtes, nunc ad orcinam domum
Ibo, et recenti gloria facti fruar.
Orom. *Dominatur intus peſtis, et totas furens*
Vorat medullas, atque jam fato novo
Iterum peribunt liberi & conjux mea.
Sed devoretur dolor: Atoſſa ne novos

Ducat

Ducat triumphos: nemo nunc inter meos
Morienti adest? Arsaca te desidero
Pietate longa cognitum, longa fide.
O fida dextra, cernis horrendum scelus,
Vivum sepulchrum, conjugem, natos, patrem,
Vnum cadaver; fœmina infando dolo
Regem jacentem: cura nunc regni tua est.
Arsa. *O triste rerum specimen, ô fata impia!*
Orom. *Gliscit veneni fervor, atque omnes vias*
Rimatur anima, limen insisto Stygis;
Salvete manes; umbra venio multiplex.
At tu scelesta, sequere: supplicio tuo
Non unus orcus sufficit, nec Tartara
Angusta tantis noxijs. Quantum est tamen,
Vndas fugaces Tantalus tradat, rotam
Ixion addat, Belides humeris tuis
Vrnas resignent, Syssiphus saxum dabit,
Tota excitabo Tartara in pœnas tuas.
Renitere anima, & proroga vitæ moram,
Tormenta diræ conjugis dum contuor,
Sit hoc doloris pharmacum, nullum est necis:
Discurrit ossa pestilens succi vapor,
Vitamque quærit, palpitat pugnæ impotens
Natura: Iamque luminum torvæ faces
Tanquam cometæ fulgurant, sævum iubar,
Salit, minatur, fluctuat, frendit, tremit,
Intus remugit, friget, & suspiria
Profunda ducit: Mænas ut Nysæ ingis
Cum Baccha totum pectore excepit deum.

Roxana prodi, voſque chara pignora
Et ultionis.
Ato. *Quid hoc? citatis aëra inſiſto rotis,*
Tractuſque plenos nubium curru ſeco.
Caligo quanta? Phœbus immerſit diem,
Meumque fugit facinus; ô magnum decus!
Noctuæ tardos agitate currus,
Et recedentem revocate ſolem,
Cernat invitus facinus peractum
Sol ſerpentigerum curru qui circuis annum,
Siſte rotas volucres, & fulvam lampada verte,
Torva Maduſæi non ſunt hæc Gorgonis ora.
Quid fulminantem Iupiter criſpas manum?
Vibravit in me: fulminor. Cado, cado.
Et hæc & illa fecimus Minos, ſcelus
Hoc omne noſtrum eſt: Beſſus hinc nihil auferet,
Tormenta ſcelerum ſola tantorum feram.
Vel deme partem: denegas, patiar, age.
Dilaniet vultur, rota torqueat, urna fatiget,
Poma negent, ſaxum recidat, mons opprimat, una
Hæc cuncta ſuſtinebo: quid ſupra deeſt?
Fugite Ariaſpa parva, Siſimithra puer,
Roxana, coniux parce: Minos avocat.
Abite volucres peſſima. Sequar, Sequar.

FINIS.

ERRATA.

PAg.5.v.3.pro *Clauſi ſecretam* lege Clauſi remotam. P.8.v.6. hoc. P.17.v.1.ubi labor victoriæ.P.17.v.11.et quod volunt. P.13.v.5.abiit.v.8.dei. P.20.v.5.quod maius eſt. P.22.v.23.cepit.P.23v.3.differre.P.24.v.16.inflato.P.25.v.19.flamina ſpiritu,ut.P.27.v.1. plebe par eſt cum ſu 1.v.11. manus.v.12.minus P. 28.v.29. non Bactra. P.37.v.3. non tum. P.30.v.9. Implumis.P. 31.v.6.ſuperi.v.16.matrem.v.25.O dulcis. P.35.v.3. nivoſo.v.4. ſolis.P.36.v.14. iaculatur.P.40.v.12.Trino.P.41.v.9.Lycnuchus Afer.P.42.v.12.veris ut. P.42.v.24.matrem decet. P.43.v.22. cepit. P.44.v.8. aqualis.v.15.dulcis et.P 45.v.7.non ſuo ſcelere. P.47.v.21.cruore patrio. P.54.v.10. quatiam. P.55.v.7 metus. P.56.v.6.condidit ortu. P.57.v.1. ſuperſtat› ſuſpicio.v.2.mors eſt cœpta. v.22.videat.P.58.v.2.quicquid & famæ.P.60.v.8 artus. P.62.v.12.Meduſæi-